SIMONIS PISTORII OPPOLIENSIS SILESII,

Sacrorum

OCTERNIO NONUS,

Generoso ac Nobilißimo Viro,


D. ADAMO GOSLAVIO à Bebelno, Domino & Mecænati meo honorando dicatus.

❧ : ❧

AD LECTOREM.

Si caußam nostræ, Lector, seriemq́; salutis
Vis nôße, hoc lecto carmine, certus eris.
Invenies, quare miracula fecerit olim
Tanta, Voluntatis Nuncius ille Dei.
Cur etiam paßus fuerit, cur mortuus idem,
Et nunc cur noster Vivat in Axe Deus.
Promißam gratis sic confirmare salutem
Collibuit summo propitioq́; Deo.
„ Demens, tot factis qui porrò credere non Vult,
„ Efficitur sanctæ nec pietatis amans!





Nobilitatis, Doctrinae & omni Virtutum genere præstantissimo Viro ac Domino

Adamo Goslavio

à Bebelno salutem.

Etsi, Vir Generose, *non obscura, puto, hactenus observantiæ erga te meæ extitére argumēta. Semper enim ab eo, quo me tecum eadem colligavit Religio, tempore; & inprimis à svavissimo illo, qui mihi tecum ante annos complures, in Prædio tuo Paterno intercessit, convictu, studui quàm potui maximè, Tibi in te meum singularem declarare animi affectum, & ad omne officii genus promtitudinem: tamen libuit hac quoque Libelli istius dedicatione, eandem animi mei erga te significationem, non tàm ostendere, quàm renovare, ac in memoriam quodammodò tibi revocare. Decuisset sanè longè alio exactiori præstare id officii genere: verùm quùm sese in præsentia tale quid te dignum haud offerat, ac dubius non sim, delectari te etiam* Carminum *castorum, imprimisq; Sacrorum, lectione: Ideò eò libentiùs haud expectatâ aliâ occasione, hoc quicquid est, ad te mittere, tibiq; offerre decrevi. Ingens mea de tuo in me amore ac benevolentiâ persvasio facit, ut credam, non ingratum tibi hoc Opusculum, cum Auctore ipso futurum esse. Deum precor, ut te mihi, & omnibus piis, immò toti Christi Ecclesiæ, salvum ac florentem quàm diutissimè conservet. Vale.*

Simon Pistorius.

SIMONIS PISTORII OPPOLIENSIS SILESII,

SACRORUM Octernio nonus.

De

MODO AC RATIONE SALUTIS HUMANAE a DEO per Christum exhibitæ:

Deq;

OPERIBUS IN CHRISTO, demonstrandæ ac confirmandæ hujus SALUTIS GRATIA, factis.

VLtima cùm venit jam pleni temporis ætas,
(Vidit ab æterno quam, statuitq; Deus.)
Et visum à cunctis retrò Mysteria seclis
Pandere Terricolis, Cœlicolûmque choris:
Gnatum, quem tantis Legatum rebus haberet,
Progigni voluit virgine Matre suum.
(Virgine lege tori vacuâ, sed Numine fœtâ;
Vidit ab antiquo ceu, statuitq; Deus.)
Quem, simulac fuerat rebus maturus agendis,
Non adeunda priùs sumsit ad Astra PATER.
Vt demonstratis ibi Majestate futurâ,
Laudeque, quâ posthac afficiendus erat;
Atque revelandis, auditis a PATRE rebus,
Quæ latuêre Hominum, Cœlicolûmque Genus,
Aptior, & multò quò confirmatior eßet,
Ad sibi commißum grande laboris onus.
His ergò instructum, donisque & Numine plenum,
Ad mortale Deus misit ab Axe genus.

Isque gerens PATRI morem, mox jußa capeßit,
Et fert Terrigenis nuncia læta Viris:

» *Res hominum fractas, ob crimina dira, misertum*
Respicere, atque horum fata dolere Deum.
» *Iam peccatorum memorem non ampliùs eße,*
Aut morte æternâ plectere velle reos.
» *Verùm Ipsos potiùs Cœlestibus addere, & almæ*
Participes vitæ reddere velle suæ.
» *Si modò Mortales deponere pectore puro*
Crimina, & errorum pœnituiße velint.
» *Fidere si CHRISTO, & mores formare secundùm*
Ipsius studeant edita Iußa Dei;
» *Denique si potiusque pati, potiusque moriri,*
A cœpto malint quàm revocare gradum.
Hæc summa est hujus NuncI, quod ab ætheris alto
Christus Terrigenis attulit ipse Viris.
Hocq; novum Pactum est istud, melioribus auctum
Promißis, Fœdus quàm Vetus illud erat.
Illud enim tantùm mortale sonabat, at istud
Immortale ferè prædicat usque bonum.

Sed quoniam magnis, mentem excedentibus ipsam,
Tardaque rebus inest, difficilisque fides,
Nec magè quid superat rationẽ, quàm quòd Homullos
In summo maneat Cœlica vita Polo.
Tum quia vivendi ratio admirabilis, isto
Comprensa est Pacto, diaque Relligio,
Et vires superans nostras, perfectaque cujus,
Ad quam tendendum est, meta sit ipse Deus.
Idcircò modicamque fidem, viresque pusillas
Respectans Hominum Conditor atque PATER;

Nuncius æternæ daret ut documenta salutis,
Iussit, & angustæ dux foret ipse viæ.
1. *Tantæ igitur Christus cultor probitatis & æqui,*
Supra Homines, supra sécla priora fuit;
Ut promtum fuerit liquidò deprendere cunctis,
Ejus Doctrinâ verius esse nihil.
Qui totum, quantum est, tàm puriter exigit ævum,
Pœnè sit ut summo par, similisque Deo;
Isné fide indignus? bona quamvis prædicet ore,
Ponderis imminuant quæ gravitate fidem.

At quia non rarò contingere fòrs solet, ut quis
Existens miræ calliditatis homo,
Sanctæ adeò vitæ, & morum fulgore coruscet,
Cùm sanctus verè sit tamen ille minùs.
Ne quis tale etiam quid suspicionis haberet,
(Etsi suspicio hîc non habet ulla locum;
Ob tale exemplar vitæ, quod luxit in illo,
Non hominem, at possit quale decere Deum)
Nempe Deo visum est, & per miracula multa
Doctrinæ CHRISTI conciliare fidem.
2. *Ille igitur nihil inferior virtute superna,*
Aut minor, augustâ quàm pietate fuit.
Tanta olim fecit Christus miracula, quanta
Nec mortale unquam vidit in Orbe Genus;
Nec quæ fas cuiquam numero comprendere, fecit
Mirandorum operum tot propè Myriadas:
Ærumnas varias, lædentis & omnia morbi
Sanabat verbo tristia damna suo.
Pectoribus nigros humanis arcuit omnes
Dæmonas, in quos nil cætera juris habent.

Funeribus functos, lumen vitale videre,
Humanum & sensum rursus habere dedit.
Imperitabat & his, quorum insuperabile robur,
Flatibus, & tumidis fluctibus ille maris.
Hunc Operum patratorem, magnum esse profectò,
Hunc divinum, inquam, quis neget esse virum?
Quis Christum hinc talem non esse fatebitur, ore
Se qualem proprio sæpè professus erat?
Nam si pondus habet per se sanctissima vita,
Quantò, tot miris splendida, majus habet!

Sed ne scrupus adhuc fibris hæreret in imis,
Nec dubitandi ulli caussa vel ulla foret.
Edant falsi etiam siquidem miràcla Prophetæ,
Non prohibente, immò sæpè volente Deo.
(Quæ quanquam dubitatio cui quî possit oriri,
Aut hærere aliquis pectore scrupus adhuc!
Quando oculis non visa priùs, non auribus hausta,
Quæ Christus fecit, vel numeranda forent)
3. *Hunc tamen inter se Deus, inter nosq; sequestrem*
Infanda voluit denique morte mori.
Esset ut inde palàm, à nobis sibi qualia poscat
Obsequia, & Christo quàm sit habenda fides.
Non timet horrendæ crudelia vulnera mortis
Doctrinæ tantùm qui ratione suæ;
Hostibus inprimis virtute potentior ipsis,
Quâ tantâ Christus præditus Ipse fuit,
Posset ut è sævis inimicûm evadere dextris,
Aut illos verbo sternere posset humi;
An non est nobis credendus dicere verum?
An non est illi maxima danda fides?

Crede mihi, non est ulli fiducia tanta,
Mortem ut pro falso dogmate obire velit.
Immò & de vero tantillum si dubitet quis,
Tristia pro vero fata subire nequit.
Hoc igitur Veri Christus certißimus auctor
Præstitit, ac ultrò funera dira subIt.
Antea perpeßus multos variosque dolores,
Perpetuo vitæ tempore pænè suæ.
Atque ita (namque iterare juvat) fortißimus unâ
Hac operâ Christus præstitit ista duo:
Constanter docuit per multa infesta perîcla,
Quàm sit adhærendum semper ubique Deo.
Et simul ostendit, quàm sint veracia cuncta,
Seu credenda dedit, seu facienda dedit.

Verùm sors rigidi quoniam durißima fati,
Omnia in humanis quæ in nihilum redigit,
Sola viam potuit certò haut ostendere Cæli,
Et per se vitæ spem facere alterius;
Quin animis illam magè sustollebat ab ipsis,
In qvorum e Christi voce recepta fuit.
Vt patet hoc in Discipulis Emaunta profectis,
Spes super in quorum pectore nulla fuit.
Infirmæ fidei Deus hîc succurrere nostræ
Non dubitans, fragiles & relevare animos;
4. *Christum, sæpè ipso sic prædicente, sepulchro*
Eduxit, vitæ restituitque novæ.
Qua ratione potens, frustra obnitentibus ipsis
Hostibus, unâ operâ præstitit ista Deus:
Et demonstravit Christum vera eße locutum,
Diaque Terrigenis scita dediße viris:

Ejus enim cur terribili meminiſset in Orco?
Aut quidnam, ad vitam cur revocaret, erat?
Si non veridicus, ſi fallax ille fuiſſet,
Mente vel egiſſet candidiore parùm.
Odit enim fucatum hominem, mendaciaque odit,
Et falſi auctores punit ubique Deus.
Nec minùs oſtendit, dum morte reducit ab atra
Iucundamque animam, membraque, Chriſte, tua,
Quòd firmo poſſit fidei ſibi glutine junctos
Erigere è rigidis, poſt fera fata, rogis.
Hic igitur Chriſtus, cùm tertia ſurgeret Eos,
E durâ rediit mox redivivus humo,
(Sic viſum Patri, mora ne corrumperet artus
Longior, & peſsum corpus inane daret,
Atque ita quò poſset noſci, eſse videlicet ipſum,
In cruce quod nuper flebile funus erat.)
Diſcipulis, quorum ex oculis cum ingente dolore
Avulſus fuerat, conſpiciendus adeſt.
Mæſtaque conſpectu ſolatur pectora grato,
Et turbata ſuis erigit alloquiis.
Tunc illis arcana refert oracula Vatum,
Quæ dudum talem præcinuêre Necem;
Quin vitam reducem quoque præcinuere; quis ergo,
Se fictis ludi credat imaginibus?
Vt magè ſpes autem dubias ſuffulciat, atque
Corporis exhibeat ſymbola certa ſui;
Dat tangenda ſimul, dat contrectanda deinceps
Omnia, quæ clavûm, membra, habuêre typos.
Denique ne ſcrupive aliquid, dubiive ſuperſit,
His etiam coram ſæpè alimenta capit.

Nec satis hæc, si non denis quater inde diebus
Se verum & vegetum corpus habere probet.

Ast hic qvanta Dei elucet Sapientia, & ipsa
Iudicia elucent, hîc mihi, qvanta, vide.
Hujus ab aspectu reducis post funera Christi
Mortales reliqvos arcuit ille procul.
Tum quia sacrilegæ pœnas inducere turbæ,
Non indigna Deo cura laborque fuit.
Plurima sic Gentis meruere piacula, Christi
Quæ rea contemptûs, quæ rea cædis erat.
Quæ si vidisset redivivum fortè, dedisset
Salvificam Christo protinus illa fidem.
Tum quia laudatæ fidei & virtutis honoræ
Constituit vitii turpis & esse locum.
Credere amat non visa Fides. Post funera Christum
Si cernat, quisquam se probet esse probum?
Cogit enim adspectus Christi virtutis ad arcem,
Ille nec arbitrio jam sinit esse locum.
Hîcque Dei sese profert Sapientia prima,
Digna ut mireris, dignaque mente coli:
Quod sibi parendi liber conatus ut esset,
Spe nos injunctum duxit ad obsequium:
Et facilè ut mentes hominum dignoscere posset,
Virtuti addictæ quæ magè, quæ vitio,
Innocuisq; viris ut tandem præmia justè
Conferre, & Sontes plectere jure queat,
Ora facultatem Christi rediviva videndi
Humanæ Genti noluit esse datam,
Discipulos præter paucos, lateri antea Christi
Cura hæsisse quibus maxima semper erat.

Quos magnos Operum voluit, pie Christe, tuorum,
Spectâcli testes hujus & esse Deus.
Quos non membra modò fore, fundamenta sed ipsa
Doctrinæ voluit Christiadumq; Gregis.
His fuit omninò facienda creberrima solis
Cernendi reducis copia, Christe, tui.
Vt confirmati, non par hoc munus obirent
Viribus humanis, haut titubante fide.
Vt nec deficere a vero, nec morte vel ipsa
Officio poßent fortè deeße suo.
Atq; secunda Dei fuit hæc sapientia summi,
Vno quæ mirè lucet in hoc opere.
Iamq; videbatur, viso post funera Christo,
Sat bene promissis facta fuiße fides:
Poße Deum dirâ revocare à morte Fideles,
Et dare vitali lumine poße frui.
Sed quia cœlestis vitæ, vereq; beatæ
Cujus Terrigenis spes bona facta fuit,
Perfectum in Christo speculum, perfectaque imago
Ostensa haut nobis hac ratione fuit.
Quòd fuerit mortalis adhuc, (nec debuit ipso
Mutatum corpus surgere de tumulo:
Vt sic Discipulis foret aspectabilis ipsis,
Eductum verè seque probaret humo.)
Ne quid doctrinæ poßet decedere Christi,
Aut promißorum sollicitare fidem;
5\. *Aurea (mira loquor) Christum, spectante caterva*
Discipulûm, summus tollit ad Astra Pater.
Tollit, & ut nunquam fatis obnoxius esset,
Immortale ipsi corpus habere dedit.

Hoc igitur facto pariter commonstrat abundè,
Quò ducat Fati tam gravis arcta via.
Quæ maneat sors læta Pios à manibus ipsis,
Supremo in cælo, nunc ubi Christus ovat.

Ac poterant hoc pacto homines jam perpete cæli
De vitâ firmam prorsus habere fidem.
Ni talis mentem nonnunquam cura subiret,
Carpere quæ fidei dulcia vota solet;
Christo nos longè pietatis cedere laude,
Hac illum multis nos superâsse modis:
Nostram a Naturis distare perennibus auram;
Quàm procul, à nobis tam procul esse Deum.
Ad sancti exemplum Christi curare Deum ergò
Mortales, meritò fas dubitare aliquem.
Nec quenquam tantam certò sperare salutem
Audere, in Christi pectore quanta fuit.
Verùm (ceu visum est per singula) qui Deus ansas
Iam dubitandi alias sustulit antè procul,
Has idem curas animis proscripsit inanes,
Hac dubiam stabilit dum ratione fidem:
6. *Hunc, qui naturam nobiscum gessit eandem,*
Et quæ circumstant nos mala passus erat,
Admovit Christum clavo super ætheris Axe
Imperii, summo constituitq; loco.
Vt jam cunctorum Rex immortalis & hæres
Vitài factus, non secùs atque Deus,
Omnibus æternam posset donare salutem,
Qui sibi Fidentes, morigerique forent.
Hoc Deus est Christi dignatus honore labores,
Tantum illi munus pro pietate dedit:

Hoc, humanarum rerum haut ignarus & expers,
Fulcro hominum voluit constabilire fidem.
Evasiße autem tantum super omnia Christum,
Hoc ipsum jam sit quàm dubitare nefas,
Discipuliq; probant, probat Induperator & ipse,
In quem conscendit, Christus, ab Axe Poli.
Nam vim Discipulos amplè hinc effudit in omnes
Numinis, & donis imbuit ille rudes.
Imbuit, & totum Legatos misit in orbem,
Vt testes horum maximi ubique forent.
Ipsi etiam, licet increpiti, persæpe professi
Magnanimis ausis ista fuère tamen:
Eße favore Dei Regem, Dominumque potentem,
Hunc Christum, indignâ qui nece nectus erat.
Eße Dei supra populum nunc Iudicem, & ipsum
Vitæ cunctorum jus, & habere necis.
Quod non constanti tantùm sunt voce professi,
Grande dabant dictis pondus ubique suis.
Sanctis nimirum auspiciis, & numine Christi
Prodigia edebant plurima, mille locis.
Illa quidem facilè haut cuiquã numeranda, patratis
Aut Domini gestis inferiora sui.
Tanta his dictorum nixa est fiducia factis,
His est testatis conciliata fides.
Iamq; ita monstrata est divina potentia Christi,
Tot miris operum est illa probata satis.
Tot fulcris, inquam, satis est stabilita pusilla
Mens hominum, ut possit credere jurè Deo;
Poße Deũ, poße & Christum, mortale quod est nunc,
Immortale suâ reddere corpus ope.

Sed quia

Sed quia poße istud non est sat scire, voluntas
Horum prompta etiam sit nisi nota satis;
Namq; (nec immeritò) quisquam dubitare potissit,
Velle ita nos Christum extollere, velle Deum.
Nil habeat quòd nobiscum commune immensus
Humani generis Conditor atque Deus.
Quòd Christus planè ipse malis defunctus in Axe
Rex factus superâ vivat, ovetque sibi;
Nec fòrs ille magis quicquam mortalia curat,
Ampliùs humanis afficiturque malis.
Quò major quis enim est, hoc pænè superbior, alto
Despiciens alios sæpè supercilio.
Ergo ne quis & hîc meritò dubitare potissit,
Velle ita nos Christum extollere, velle Deum.
Hoc fine, ut dictum est, & fecit Principẽ & omnium
Hæredem Christum maximus ille Deus.
7. *Hoc fine ipse etiam cæli redivivus ab Axe*
Ostendit Christus se semel atque iterum.
Vidit eum Stephanus lapidũ obrutus imbre, Saulus
Vidit eum, Christi nominis hostis atrox.
Ille suam ut poßet pro Christo ponere vitam;
Ne Christi membris iste nocere queat.
Eße ipsum tanto nobiscum ardentis amoris
Glutine conjunctum quippe, vel inde palàm est,
Quòd quùm persequitur Iustos hoc Saulus in orbe,
Hoc fieri in cælis imputat ille sibi.
Et dubitabis adhuc, Christum curare Suorum
Omnia, seu vitam, seu magis ipsam animam?
Quanquam si nunquam sese ostendißet ab ipsis
Sideribus Christus, quî dubitare queas?

Cum dubitandi aliâs omnis ſit cauſſa remota,
Credendi verò maxima cauſſa data.
Promiſit nobis Cœli dare præmia; nobis
Dixit præſentem ſe fore perpetuò.
Ac, ut tam magnus Princeps evadere poſſet,
Et ſervare datas a Patre poſſet oves,
Si peracerba pati, ſi triſti morte moriri
Suſtinuit, ſolo motus amore hominum,
(Horum tunc hominum, peccandi tanta libido
Quos tenuit, nullo digni ut amore forent:)
Quî dubium ſit nunc nobis promiſſa daturum,
Quos odiſſe ardens crimina cura tenet?
Qvùm neq; jam noſtri cauſſâ eſt impẽdere quicquam
Illi opus, aut illum dedecus inde manet;
Immò hoc & pronum quum jam præſtare ſit ipſi,
Inde ipſum ſummus quumque ſequatur honos.
Nam ſua tunc capiti demùm pleniſſima ſurget
Gloria, cœleſti gloria digna Duce,
Quùm ſua Fidentes membra immortalia reddet,
Participes Regni conſtituetque ſui.
Et demùm ipſius divina potentia Regni
Eſt complementum tunc habitura ſuum,
Qvùm mortem invictam, reliquos abolebit & hoſtes,
Qui nos arcebant a regione Poli.
Adde, quòd hæc illi divina Potentia tantùm
Humani cauſſâ quùm data ſit Generis;
Alitibus ſacris ideò quùm præſit, ut horum
Circumeat juſtos & tueatur ope;
Dæmoniis quùm præſideat, quò reddat inanes
Horum aſtus, cupiunt quîs nocuiſſe Piis;

Denique quùm morti indomitæ dominetur & Orco,
Vt queat his pulsis vivificare suos.
His Christum in terris homines curare Fideles,
Quî vel tantillum jam dubitare queas?

Sed fòrs restat adhuc unum, quod possit & ipsam
Tot fultam fulcris imminuiße fidem.
Offendi Christum nimirum poße pusillo
Nostro animo, & parvâ, quæ solet eße, fide,
Dum gladii nobis, dum fortè parantur & ignes,
Exquisitaq́ue tot tormina, totq́ue cruces.
Nam quis ad aspectum non primò exhorreat horum,
Adq́; cruces quis non examinatus eat?
Ast ne vel nobis supereßet scrupulus unus,
Præcavit nostri Conditor atque Pater.
8. *Ac ideò Christum tantos sensiße dolores,*
Ante crucem voluit tantaq́; mente pati:
Non tantùm exanimis, non tantùm enectus ut eßet,
Pronus humiq́; jacens, hos daret ore sonos:
O Pater, alme Pater! si fert tua sancta voluntas,
Has à me curas aufer, & hos gemitus!
Vt guttatim ejus stillârit pectore sudor
Toto, qui densi sangvinis instar erat.
Denique ut æthereo consolatore Ministro
Eßet opus, mæror quo veniente abiit.
Nempe Deus tantos permisit ferre dolores
Immeritum Christum, diraq́ue tanta pati;
Inter præduros, infinitosq́ue labores,
In turpi tandem fata subire cruce.
Eßet ut ex omni perfectus parte Sacerdos,
Terrigenûm Generis factus in Axe Deus.

Hautque mali ignarus miseris succurere nôsset,
In simili positis conditione mali.
Ergo nequicquam quæcunque pericula tandem
Nomine pro Christi, fataque dira times.
Nequicquam offendi metuis pia Numina Christi,
Si tam parva fides, mensque pusilla tibi est.
Si luctare modò, si contrà audentior isque,
Ipsum te vincis, vincis & omne malum.
Ac si confisus Christo, pro laude perenni
Ipsius, ipsam animam ponere non dubitas.

Sic obsignantur divini nuncia verbi;
Firmantur magni sic nova pacta Dei:
Sic ratio nostræ tota est firmata Salutis,
Et satis ex una parte probata Dei.
Tantæ molis erat Christianam condere Gentem,
Tanto constabat nostra labore Salus!
„ *Prudens ac felix, quem demonstratio summi*
Tanta boni Christo cogit habere fidem!
„ *Stultus & ingratus, fidei cui pignora tanta*
Nondum vim faciunt, ut pius esse velit!

Rom: 8. v. 33. & 34.

Quis accusabit adversus Electos Dei? Deus est qui justificat.

Quis est, qui condemnabit? Christus est, qui mortuus est; immò qui & resurrexit; qui est ad dexteram Dei; qui etiam interpellat pro nobis.

1. Pet. 1. v. 21.

Per Christum creditis in Deum, qui excitavit eum a mortuis, & gloriam ei dedit, ut fides ac spes vestra in Deo esset.